

PA 6389
.F7 K5
1871
Copy 1

PA 6389
F7K5
1871
copy 1

EMENDATIONUM FRONTONIANARUM
PARTICULA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS KLUSSMANN

RUDOLPHOPOLITANUS.

Gottingae MDCCCLXXI.

73 062

PA6389
F7K5
1871
COPY 1

99-202223

M. Cornelii Frontonis epistulae ab Angelo Maio post tot saeculorum oblivionem ex tenebris erutae vix dici potest quantam hominum doctorum primum curiositatem tum fastidium moverint. Quem enim suae aetatis hominum plausum et admirationem habuisse et vel plus centum annis post *Romanae eloquentiae non secundum, sed alterum decus*¹⁾ visum esse noverant, ad eius libros iam aditum patere ut cupidi sane et attenti audiverant, ita perfectis eisdem libris mirum quantum spe decepti sunt. Inde, puto, factum est, ut non eadem, qua fere solet fieri, alacritate docti homines in hoc quidem corpore quamvis aegerrimo opisque medicae indigentissimo curando sanando ingenia exercuerint. Postquam enim anno 1815 quidquid reliquarum Frontonianarum in palimpsestis Ambrosianis, olim Bobiensibus latuerat, publici iuris ab Angelo Maio factum est, primum quidem Eichstadius Ienensis²⁾ novum inventum aequalibus magis com-

¹⁾ Verba sunt Eumeni in Panegyrico Constantio Caesari recepta Britannia dicto cap. XIV. Quamquam, qua sunt illi rhetores in dicendo et laudando incontinentia, Aureli Caesaris verba (Front. epist. II. 3 pag. 28 versu ultimo ed. Nab.), quibus Frontoni magistro valedicit: *vale, decus eloquentiae Romanae* exaggerasse videtur. Cui epistulae cur Frontonem ea, quae est II. 7 pag. 32 respondisse putem, caussa in extremis eius epistulae verbis est: *vale, Caesar, decus patriae et Romani nominis.* Solet enim alter alterius laudes quamvis nimias reddere et reddendo superare.

²⁾ Cornelii Frontonis operum nuper in lucem protractorum notitia et specimen. Ienae 1816.

mendavit quam ipse emendavit. Secuti sunt triumviri Berolinenses, Niebuhrus, Buttmannus, Heindorfius,¹⁾ qui communis studiorum societate iuncti eodem anno Frontonis reliquias tum quidem in lucem protractas ita percensuerunt, ut turbatum foliorum codicis ordinem mira sane sagacitate restituerent, multa egregie emendant, rem, quantum quidem tum pro incredibili qua Angelus Maius rem instituerat socordia et levitate fieri poterat, insigni studio et diligentia agerent. Car. Frider. Heinrichio²⁾ quantum laudis debeatur nescio. Fr. autem Rothius³⁾ ut de epistulis Frontonianis optime existimavisse dicendus est, ita in emendandis reliquiis noluit operam consumere. Certissimum autem de Frontonis studiis et ingenio iudicium fecit summus ille Niebuhrus.⁴⁾ Paulo post, i. e. anno huius saeculi vicesimo tertio, felici quodam casu factum est, ut idem ille Angelus Maius, cum Mediolano Romam migrasset et bibliothecae Vaticanae praeesesse coepisset, alia Frontonis fragmenta in codice inveniret, qui olim integri Mediolanensis libri pars fuerat, ut iam anno vicesimo tertio Frontonem uberrimis supplementis auctum edere liceret. Cuius editionis altera pars ab altera non parum differt. Eae enim, quae ex priore editione

¹⁾ M. Cornelii Frontonis Reliquiae ab Angelo Maio primum editae cett. Berolini 1816. Nihil moror editiones Francofurtanam anno 1816 aut Cellensem 1832 emissas, quae ad verbum Maianas editiones reddant.

²⁾ Auctarium emendationum in Frontonis reliquias. Kiliae 1817. Libellum frustra vel in bibliotheca Gottingensi quaesivi.

³⁾ Bemerkungen über die Schriften des M. Cornelius Fronto und über das Zeitalter der Antonine. Nürnberg 1817 = Sammlung etlicher Vortraege. München 1851, pag. 52 — 76.

⁴⁾ in commentatione quae est in script. min. 2, 52 — 72.

De M. Aureli epistulis ad Frontonem scriptis exposuit Ernestus Müller: Marc Aurel in seinen Briefen an Fronto (Festschriften zur hundertjährigen Stiftungsfeier des kön. evang. Gymnasiums zu Ratibor 1869. pag. 12).

repetitae sunt, reliquiae Mediolanenses neque ullam habent iterum conlati codicis commendationem, quamvis videantur, et quae ex schedis Vaticanis accesserunt multo maiore accuratione et diligentia ex codice descripta sunt quam quae vir clarissimus in hac editione ex priore repetiit. Atque utinam repetiisset! Nunc vero ne monito quidem lectore complures, quasi in codice Ambrosiano legantur, conjecturas et emendationes triumvirorum Berolinensium in ordinem recepit. Atque cum librum Mediolanensem non ea, qua par fuerat, diligentia inspexisset cumque multis locis aut falsa descriptsisset aut de lacunis non recte rettulisset, fieri non potuerat quin homines Berolinenses, qui fidem Maio haberent, cum ipsi via et ratione incederent, haud raro in devia omnia seducerentur. Iam vero Maius inventa Berolinensia probavit atque pro vere Frontonianis venditavit, ut scriptoris verba non semel, sua neglegentia ad aliorum hominum doctorum ingenia exercenda et frustra exercenda abusus, sed eisdem, quos illi per ipsius securitatem fecerant, erroribus patrocinatus bis corrupisse dicendus sit.¹⁾ Atque primus deinde hoc rerum statu deceptus Kesslerus²⁾ infelici nisu lacunas in ipsa illa Mediolanensium membranarum parte explere conatus est. Secutus est Ludovicus Schopenus³⁾ qui duobus libellis perquam doctis alteram i. e. Vaticani codicis partem emendavit felicissimo plerumque successu: quippe cum ab Ambrosianis illis

¹⁾ Eandem editionem A. Maius anno 1846 ita repetendam curavit, ut, cum in adnotationibus pauca quaedam corrigeret, codices ipsos retractavisse non videatur.

²⁾ De locis, qui in M. Frontonis epistolis ad Antoninum Pium, ad Marcum Caesarem et ad Verum Imperatorem Aurelium Caesarem ab Angelo Maio inscriptis litura corrupti deprehenduntur, probabili conjectura senciendis. Programma gym. Rosslebiensis 1828.

³⁾ Emendationum Frontonianarum Partes I et II. Programmata scholae Bonnensis 1830. 1841.

abstineret et certiore quodam fundamento in Vaticano uteretur, qua erat mentis acumine sermonisque latini familiaritate, raro a vero aberravit, plurima aut optime emendavit aut emendandi viam demonstravit. Neque laude sua caret Io. Casp. Orellius, qui cum Chrestomathiam Frontonianam Corneli Taciti dialogo de Oratoribus a se edito¹⁾ addidisset, in emendandis reliquis Frontonianis operam conlocavit haud sane contemnendam. Fridericus autem Iacobsius ut prioris editionis Maianae locos nonnullos corruptos felici ingenio temptaverat,²⁾ ita alteram compluribus animadversionibus bonae frugis plenissimis prosecutus est.³⁾ Post hunc G. F. Hildebrandus in editis libris Apuleianis⁴⁾ complures locos Frontonianos emendavisse sibi visus est, nonnullos feliciter emendavit; quamquam doctissimi hominis studia eorum, qui post illum emendando Frontoni operam dederunt, diligentiam plane fugerunt. Pauca quaedam sed ea maximam partem egregia in communem rem contulit Arn. Schaeferus,⁵⁾ quae cum homo doctissimus vel a nuperrimo reliquiarum Frontonianarum editore Batavo praetermissa vidisset, ea quae ipsi etiam tum probabantur, alio loco⁶⁾ repetiit. Tribus autem libellis Henricus Alanus⁷⁾ Anglus quid in emendando Frontone posset

¹⁾ Prodiit liber Turici anno 1830; chrestomathia illa pagg. 115—173 complectitur.

²⁾ in Fr. Aug. Wolfi Analectis I. 108.

³⁾ in Zimmermanni Diariis antiqu. 1838, p. 1019.

⁴⁾ Lipsiae 1842.

⁵⁾ de locis nonnullis Ciceronis Plinii Frontonis (in progr. gymn. Vitzthumiani Dresdensis 1844, pag. 12—16).

⁶⁾ in Philologo XXVI. 575.

⁷⁾ Henrici Alani conjecturae et animadversiones. Dublini 1841. — Observationes in loca aliquot Ciceronis; accedunt in Caesarem Frontonem Gellium Plinium nonnulla. Dublini 1863. — Observationes in Frontonem Dublini 1867. Horum librorum quem ultimo loco scripsi non usurpavi.

expertus est, atque sunt sane, quae probes, quamquam non ita multa. Philiberti *Soupé* *commentatio*¹⁾ magnam habet industriae, nullam ingenii laudem. Nonnullos ex eis locis Frontonianis, qui ad ius pertinent, tractaverunt E. Schrader^{1b)} et Henr. Ed. Dirksenus.²⁾ Pauca de uno loco Frontoniano disseruerunt Schneidewinus³⁾ et Cobetus.⁴⁾ Praetermisit autem nuperus editor Batavus etiam Mützelliana nonnulla eaque minime spernenda⁵⁾ et Maehliana plus dimidia parte immo-destiora.⁶⁾ Egregia sunt quae C. F. V. Müllerus passim de Frontone disputavit.⁷⁾ De singulis locis sententiam tulerunt Chr. A. Lobeckius,⁸⁾ O. Iahnius,⁹⁾ Alexander Riesius,¹⁰⁾ Herm. Usenerus,¹¹⁾ Mart. Hertzius,¹²⁾ Ioh. Vahlenus,¹³⁾ Lud. Friedlaenderus.¹⁴⁾ Arionem Frontonianum cum Gelliano contulit Iul. Kretschmer.¹⁵⁾ Palmam autem

¹⁾ de Frontonianis reliquiis. Ambiani 1853.

^{1b)} Neuentdeckte Quellen römischer Rechtskunde in *Krit. Zeitschr. f. Rechtswissenschaft* vol. I fasc. 2, pag. 140 sqq. Tubing. 1826.

²⁾ Zur Auslegung einiger Stellen in des Cornelius Fronto Reden und Briefen recitavit homo doctissimus in academia litteraria Berolinensi a. d. XVI Kal. Ianuar. MDCCCLV, quae *commentatio* in opusculorum Dirkseni volumine I pag. 243 sqq. legitur, quod his ipsis diebus Lipsiae prodiit (edente F. D. Sanio).

³⁾ in *Philologo* X. 321.

⁴⁾ in *Mnemosyna* V. 232.

⁵⁾ Zu Fronto (in *Diariis gymn. Berolinensibus* XIII. 640).

⁶⁾ in *Philologo* XVII. 176 sqq. XIX. 159 sqq.

⁷⁾ in *programmate Landsbergiano* 1865, cuius nulla Nabero notitia, et in *Annal. philol. nov.* 93, p. 487 sqq.

⁸⁾ in *Aglaophamo* p. 707.

⁹⁾ in *Mus. rhen.* III. 156 et post Naberum in *Philologo* XXVIII. 7.

¹⁰⁾ in *Annal. phil. nov.* 91, p. 146.

¹¹⁾ eod. I. 91, p. 268.

¹²⁾ eod. I. 93, p. 579.

¹³⁾ in *Cn. Naevi de bell. Pun. reliquiis* p. 6, 7, et in *Actis gymn. Austr.* XIX. 10.

¹⁴⁾ in *Enarratione morum roman.* 2, 127.

¹⁵⁾ in libro de *Gellii fontibus* pag. 103. Posnaniae 1860.

fert M. Hauptius, qui plurimos locos Frontonianos felicissimo ingenio restituit.¹⁾

Atque hi quidem homines doctissimi omnes de emendando Frontone meruerunt nullius nisi Maianis editionibus adiuti. Primus, quod sciam, post Maium codices ipsos iterum inspexit homo Batavus G. N. du Rieu. Qui cum in itinere Italico cum alios codices rescriptos tum hos Frontonianos iterum contulisset, domum autem redux factus negotiis publicis distineretur, quominus ipse novam romani rhetoris editionem adornaret opesque suas cum hominibus doctis communicaret, varias, quas ex Italia rettulerat, lectiones Samueli Adriano Nabero tradidit, qui libros Frontonianos denuo edendos curavit.²⁾ Qui quamvis rem diligenter sane et strenue egerit, ut tandem aliquando melius certiusque, quam post editiones Maianas licuerat, adpareat, quae sit membranarum illarum condicio quidque in codicibus revera scriptum sit, quid non, relicta tamen sunt haud pauca, quae post ipsas duumvirorum curas offendant lectoremque non raro morentur et male habeant. Atque primum quidem ut omnium codicum rescriptorum lectio perdifficilis est neque quae in eis latent nisi repetita perscrutatione eruuntur, id quod vel post religiosissimas Ritschelianas in Plauto Ambrosiano curas nova Studemundi studia docuerunt et post Batavi G. N. du Rieu illud undeviginti e libris de republica Ciceronianis capitum apographum Detlefsoni opera confectum comprobavit, ita in codice Ambrosiano Angeli Mai quae tum erat curandorum librorum rescriptorum incuria adeo grassata est, ut iam plurima venenis deleta legi non possint. Nihilominus in his ipsis schedis Ambrosianis iterum conferendis fere acquievit docti hominis Batavi diligentia, ita ut multa certius con-

¹⁾ in indice lectionum Berolinensium anni 1867.

²⁾ Lipsiae MDCCCLXVII.

stituerit et, id quod Angelus Maius fere praetermisserat, marginales notas ab altero librario, qui hunc codicem emendavit, adscriptas diligenter exscripserit; librum Vaticanum, quem quidem a Maio religiosius inspectum et descriptum esse Naberus adfirmat, non totum contulit, ut iam non raro ad fidem Angeli Mai eamque post codicem iterum conlatum satis dubiam et suspectam indignabundus sane reiciaris. Praeterea ea eius saepe est in lacunis indicandis levitas, ut quo te vertas ignores. Velut, ut uno exemplo defungar, quid id est, quod pag. 44 not. 4 adnotatur: »supple unum verbum«? At quantum? Duarum litterarum an duodecim? Sed haec quidem alteri editori debentur. Naberus autem, praeterquam quod compluria quae post Maium virorum doctorum studia ad Frontonem emendandum contulerant aut praetermisit aut non ea qua par erat diligentia rettulit, est ubi secum ipse pugnet. Velut cum pag. 11 not. 14 in codice perpetuo *prosus* legi adnotasset, recte quidem eadem vocabuli forma legitur pag. 38, 9, ubi nescio quomodo sui oblitus sic in codice exaratum esse iterum adnotavit, 65, 7; 73, 19; 76, 10; 115, 1; 178, 4; 219, 3, altera tamen i. e. *prorsus* relicta est pag. 7, 10; 101, 4; 106, 22; 178, 19. Atque ea ipsa caussa est, cur Naberum ne pag. 49, 15 quidem, ubi *prorsum* et pag. 68, 22, ubi *prosum* invenitur, sibi constitisse putaverim. Accedunt aliae quaedam neque leviores res, quibus male constat qua Naberus utitur ratio. Sed de his quidem infra agetur. Sed, utut res est, multum profecto Fronto doctis hominibus Batavis debet, tamen, ut fieri solet, ita multum, ut utrumque codicem rescriptum iteratis curis excutendum esse satis superque inde adparuerit. At adsit, qui, si quis, huic desiderio satisfacere possit; contulit enim codicis Ambrosiani partem non sine fructu Guil. Studemund, homo in hoc litterarum genere acerrimo cuique existimatori probatissimus, expetendus ille, ut omnibus

membranis denuo descriptis operam suam in Frontone restituendo conlocet. Sed Nabero ut non multum debeat Frontonis emendatio, duae tamen res debentur, primum quod singulas libri palimpsesti schedas melius disposuit, tum quod abstinuit ab infructuosa illa popularium suorum omnia novandi studio; nec desunt quae bene emendavisse dicendus sit. In cuius laudis partem veniunt et G. N. du Rieu et Frid. Aug. Eckstein, qui cum primorum typothetarum speciminum emendandorum laborem ultro suscepisset, non solum librariorum Lipsiensium sed hic illic etiam antiqui librarii menda correxit. Pauca etiam post Frontonem a Nabero editum Ernestus pater meus aut emendavit aut restituit,¹⁾ plura censor quidam anonymus,²⁾ plurima, modo ingenio parcere voluisse, R. Ellisius Anglus.³⁾ Graecarum epistularum extrema verba restituisse sibi visus est alter homo Anglus.⁴⁾ Accesserunt nuper E. de Leutschiius⁵⁾ et Ad. Eussnerus.⁶⁾

Post tot hominum doctorum studia cur ego quoque quid in emendando Frontone praestare possim experiri sustinuerim, caussa non magis in me ipso quam in Frontone eiusque amicis sita est. Epistulae enim ex codicibus rescriptis erutae nullam habent neque ab eruditione neque ab elegantia commendationem; scriptae autem sunt maximam partem aut a magistro ad discipulos adulescentulos aut a discipulis ad magistrum, neque conspicuae eae aut magna rerum varietate aut egregii ingenii sublimitate, ut satis aptae satisque dignae visae mihi fuerint, in quibus emendandis prima stipendia fa-

¹⁾ in Philol. XXVII. 240.

²⁾ in indice philol. Leutschiano I. 60.

³⁾ in Diario Anglico: Journal of Philology I. 15—20.

⁴⁾ Wordsworth in eodem Diario I. 160.

⁵⁾ in Philol. XXX. 176.

⁶⁾ in mus. rhen. nov. XXV. 141—147: Frontonis et M. Caesaris epistularum emendationes.

cerem. Atque pro viribus meis abstinentum mihi quidem putavi et a lacunis explendis et ab eis locis, ad quos sanandos aut reconditiore doctrina aut magno artis criticac usu sive opus est sive opus esse mihi quidem visum est. Cum enim in his scriptoribus, qui quid et quomodo ipsi scripserint ex codicu[m] miserrima condicione multo minus quam in reliquis constitui licet, latissimus pateat arti divinatoriae campus, diffidendum esse existimavi ingenio[m] meo in eisque acquiescendum, quae multae et diligenti lectioni adulescentulorum non essent impenetrabilia. Quodsi in his artissimis finibus me non continuisse viris doctis visus fuero, at volui saltem. Reliquum est, ut hasce studiorum meorum primitias simplicissimas et modestissimas ei, quorum summum de his rebus iudicium est, aequi bonique consulant, et ut ipse gratias agam quam possum maximas viro de hoc libello meritissimo Guil. Studemundo, Professori antiquarum litterarum Gryphiswaldensi, qui dum hae paginae a prelo madent, potiora ex eis mecum communicavit, quae ipse in schedis suis de discrepantia scripturae Ambrosianae adnotaverat; ea omnia in notis commemorabo.

Conqueritur *ad Marcum Caesarem I. pag. 4 Nabèr* M. Caesar, quod sibi multis rebus praepedito non liceat ad Frontonem magistrum pede laborantem continuo percurrere hominemque aegerrimum solatio et auxilio sublevare. *Et tu, pergit, me amicum vocas, qui non abruptis . . . cursu con(cito) pervolo?* Non constat de vocula omissa. Cum enim Maius se *domibus* in codice legisse dicat, du Rieu re vera OEMIB., ut tamen duae primae litterae incertae sint, in palimpsesto esse adfirmat.^{a)} Iacobsius

NI

^{a)} [Immo cum in codice re vera scriptum sit DOMIB· et omnes litterae certae sint praeter primam D, pro qua etiam de H cogitare

et Maehlius *omnibus*, recte et ingeniosissime Niebuhrius *compedibus* coniecerunt. Simillimus locus est in epistula Frontonis II. 7 pag. 32: *ego Romae haereo compedibus aureis vinctus*, quem locum a Iacobsio occupatum video. Illae quidem compedes quae fuerint, ex subsequentibus satis adparet: *ego vero, pergit, magis sum claudus quom¹) ista^{b)} mea verecundia, immo pigritia.* Vides Marcum se magis impeditum dicere quam Frontonem podagra laborantem cum verecundia illa, qua sese legibus et disciplinae aulicae subtrahere vereatur. Eadem est Veri Imperatoris sententia ad Ver. Imp.¹ I. 3, pag. 116, 15: quid, si me hodie domum arcessas, nonne omnibus omissis lubens currām? qui quidem aegerrime tulerim, quod non cotidie ad te commeem: quin gravissimum stationis nostrae id esse arbitrer, quod veniendi ad te adeo . . Mox, ne Frontonem, qui talia audire nolit, laedat Marcus, sibi ipsi omnem culpam imputans addit *immo pigritia*. Quod *concito* scripsi, cum Naber feci,²⁾ confitus eis, quae du Rieu in codice se dispexisse fatetur.

Quae subinde secuntur haud scio an aliter atque adhuc factum est dispungenda sint: *o me — quid dicam? metuo quicquam dicere, quod tu audire nolis.* Stilum

possis, appareat DOMIBUS lectionem primae manui deberi; ex qua correctorem superscriptis NI litteris OMNIBUS lectionem effecisse (conf. *omnibus omissis* 116, 16), quam et ipsam conjectura adsecutus est Iacobsius. Ceterum CURSUO(NCITO), quod Naber voluit, in cod. non exitisse spatium docet, quod ad explendum e. g. CONCITATO (vel adeo, etsi minus bene, CONTINUO) lectio sufficiat, quamvis *concito cursu* 156, 4 legatur; nec tamen intellego quid corrector superscripta M littera voluerit, quam AGNO litteris exceptam non fuisse moneo propter ea, quae Naberus coniecit. STUDEMUND].

¹⁾ ita etiam pagg. 58, 23; 122, 3; 136, 10; 180, 9 in codice exaratur pro *cum*.

^{b)} [Cod. ISITA mero lapsu calami, ut videtur, neque igitur de *insita* (conf. 103, 13; 58, 24) cogitandum erit. STUD.]

²⁾ cfr. pag. 156, 4; 58, 23.

enim continet Marcus; dicturus erat: *o me miserum vel tale quid, ut aposiopesis statuenda sit.* Simillimus locus est *ad M. Caesarem IV. 7, vale meum — quid dicam, quidquid dicere satis non est? — vale meum desiderium,* qui locus et ipse male a Naberio habitus est. Atque primum quidem inconstanter fecit, sicut persaepe in dispungendis sententiis intermediis (parentheses dico) fecit, alios locos aliter dispungendo. Tum autem ne intellego quidem parenthesin illam, quamvis Naberus pag. 294 se locum aliter atque a Maio factum erat dispunctum integrum praestitisse arbitretur. Debebat saltem *quid dicam? quidquid dicere satis non est.* At ne sic quidem salva res est. Absurdum enim et ineptum esset, si Marcus quidquid in buccam venisset non sufficere adfirmaret ad amorem suum erga magistrum apte exprimendum. Hoc potius dicit, vocabulum ad id satis idoneum inveniri non posse. Quae cum ita sint, levissima mutatione locum ita emendo: *vale meum — quid dicam? quidquid dicerem, satis non est — vale.* In paucis autem, quibus librarius codicis rescripti utitur notis ea est, ut *m* litteram lineola vocali litterae superscripta in fine versus significet.

Paulo post: *Cura, miserere, omni temperantia, apstinentia omnem istam tibi pro tua virtute tolerandam, mihi vero asperrimam nequissimamque valetudinem depellere et ad aquas proficisceris^{c)} et quando et nunc ut commode agas, cito, oro, perscribe mihi et mentem meam in pectus meum repone. Sic codex sine ulla lacuna. Ut verba constare possent, Maius et si ad aquas supplevit, Naberus et ad quas aquas proficiscaris. Utrumque perverse, nam interposita illa et nunc huius modi quidquam novari*

^{c)} [PROFICISCENS magis quam PROFICISCERIS in cod. extare videtur; sed tres ultimae litterae admodum incertae sunt. STUD.]

vetant. Praeterea male me habent vocabula *omni temperantia apstinentia*. Nunquam enim nec Marcus nec Fronto duo synonyma cum communi aliquo adiectivo sine copula iungere solent; ita potius debebat: *omni temperantia et abstinentia* aut *omni temperantia, omni apstinentia*. Sed ne sic quidem licet locum emendare. Quid enim est illud *omni temperantia*? Nihil potest aliud nisi *omni temperantiae genere*. Atqui poterat sane magistrum admonere, ne quod temperantiae genus neglegeret; non poterat admonere, ne quid abstinentiae contemneret: valetudini enim parcendi genera in eiusmodi morbis compluria sunt, abstinentiae unum, ciborum noxiорum. Quae cum ita sint, locum alia atque adhuc factum est ratione dispunctum sic censeo emendandum: *Cura, miserere, omnia* (i. e. noli quidquam in curando corpore omittere). *Temperantia, apstinentia omnem istam tibi pro tua virtute tolerandam, mihi vero asperrimam nequissimamque valetudinem depellere est.*¹⁾ *Ad aquas proficisceris et quando? et nunc, ut commode agas, cito, oro, perscribe mihi* cett. Ad aquasne prefecturus esset necne, non statim scribere Fronto poterat; itaque obiter de hac re Marcus interrogat, ut in tempore certior fieret; nunc autem, ut Fronto valeat, sibi ut rescribatur precatur. Atque re vera in sequenti epistula, qua ad hanc Fronto rescriptsit, pag. 8, 25 haec respondentur: *valeo ego*^{d)} *multo quam opinabar commodius. De aquis nihil dum cogito.*

¹⁾ Nullum quidem apud Frontonem invenitur huius dictionis exemplum, de qua vide cum Interpret. ad Sall. Iug. 110, 3, tum Lachmann. ad Lucret. V. 533.

^{d)} [Immo EGO omnino in cod. non extat, sed post *Finis igitur UALEO* sit epistulae haec extare visa sunt in fine versus: AREUERA, quarum litterarum prima invito calamo excidisse videtur, UALEO supra versum addidit corrector. Corrigendum igitur sine dubio est: *Finis igitur sit epistulae. Valeo re vera multo quam opinabar commodius. STUD.*] STUD.]

Sub finem eiusdem epistulae apud Naberum haec leguntur verba vexatissima: *Vale, mihi Fronto iucundissime. Quamquam ita me dis potius dicere oportet; nam tu quidem semper aves; o qui ubique estis di boni, valeat oro meus Fronto iucundissimus atque carissimus mihi.* Codex *iucundissimae* et *dispositus*; verba *semper aves*, quo tempore du Rieu et Studemund codicem inspexerunt, evanuerant, apud Maium leguntur, quamquam in eius schedis non *aves* sed *es* legi Naberus pag. 295 adfirmat; in extremis codex *Q quibique*, sed prima littera incerta.^{e)} In universo loco vereor ne plus quam unum mendum haereat. Primum haud cunctanter interpongendum erit *Vale mihi, Fronto.*¹⁾ Illud autem *dispositus* ferri omnino non posse per se intellegitur. Sed locus ipse ita corruptus Nabero visus est, ut se quidem illud *aves* prorsus intelligere negaret et *abes* substituere mallet. Qua re haud scio an tota loci sententia evertatur, quae qualis sit quamvis Heindorfius, cui illud *dis potius* debetur, bene intellexisse videatur, propter Naberum enarrari oportet. Atque primum quidem Marcus Caesar ipsum Frontonem valere iubet, mox ad deos conversus ut Frontonem valere iubeant precatur. Inter utramque autem sententiam media ea est, quae a voce *quamquam* initium habet, qua voce aliquid ante non recte factum aut dictum esse significatur. Itaque Marcum se ipsum vituperare patet, quod ad Frontonem se converterit, ad deos enim fieri oportuisse. Hominem vides in rhetorum scholis exercitum, qui quae male instituerat iam corrigat. Cum hac sententia congruunt ea, quae Nabero obscura sunt visa. Non te appellare debebam, ait, ut valeres, nam tu quidem semper (valere) *aves*; male rem disposui, melius disponendum erit, ut

^{e)} [Immo OQUIBIQ· cod. STUD.]

¹⁾ cf. excursus I.

eos appellem, penes quos solos restituendae valetudinis tuae potestas est, ad deos. Quae cum ita sint, locum ita emendo: *Vale mihi, Fronto iucundissime. Quamquam ita me dispositius dicere oportet — nam tu quidem semper aves — O qui ubique estis, di boni cett.* Heindorfii coniecturam cur spreverim, caussa ea est, quod *dis dicere* inverecundum est. Praeterea ipsum vocabulum *ita* Heindorfium non recte emendasse documento est. Nam sive ad praecedentia referas sive ad subsequentia, nihil in eo sani erit. Sive enim Marcum: *ita, ut dixi, dis potius, me dicere oportet*, voluisse statueris, superflua et inconcinna ea, quae sequitur, deorum appellatio erit; sive *ita, ut dicturus sum, dis potius me dicere oportet*, aut vocabulum *dis* aut quae sequitur deorum invocatio incongrua erunt. Restat, ut de insolito illo comparativo *dispositius*¹⁾ verba faciam. Is quamvis hoc loco, quod sciam, unico inveniatur, nihil tamen habet offensionis. Vocabula enim ἀπαξ εἰρημένα tot in reliquis Frontonianis inveniuntur, quot homines decet in verbis insolitis quaerendis indefatigatos. Atque Marcus quidem discipulus in verborum quaerendorum studio adeo nimius est, ut vel ab ipso magistro, inusitatorum amantissimo, reprehendatur (cf. ad M. Caesarem IV. 3) sed de hac re postea, quo loco ipsum Frontonem et Marcum praecipue in utendis comparativis immodestiores fuisse demonstrabo.²⁾ Unum addo. Quemadmodum Marcum *dispositius* scripsisse puto, ita Tacitus (ab exc. d. A. XV. 3) *compositius* comparativo, quod sciam, solus usus est. De Leutschi sententia, qui probata Heindorfi emendatione, *vales pro aves* legendum censuit (Philol. XXX. 176) subinde disputabo.

¹⁾ Non aliter ad Marcum Caesarem V. 31 (46) pag. 85, 6 *quietus* prior manus exaravit, altera recte *quietius* emendavit.

²⁾ cf. excursus II.

Epistula subsequenti, quae est ad M. Caes. I. 3, respondebat Fronto ad Marci epistulam, de qua modo dixi. In ea epistula pag. 5, 12 locus est vexatissimus: *quid si istas litteras tuas legerit, quibus pedem etiam pro salute mea^f) advocas et praecaris? O me beatum! ortus commendatum! Putasne ullus dolor penetrare sciat corpus aut animum meum? p[ro]p[ter]e tanto gaudio prosiluerim. Babe, nec doleo iam quicquam.* Quid? Marcum Frontonis pedem aegrum advocasse aut precatum esse? Nullum eiusmodi rei in Marci litteris vestigium inest. Necessitate autem est insit in illa epistula aliquis aut aliquid, quod Caesar invocaverit. Quod cum intellexisset Eichstadius, post vocabula *pedem etiam aliquid intercidisse censuit*, quod quid fuisse sibi videatur addere noluit. Atqui nihil Marcus *advocaverat*, quae vox premenda est i. e. in auxilium magistri, ad restituendam eius valetudinem invocaverat praeter deos. Similiter Marcus III. 9 pag. 47: *deorum unumquemque mihi votis advoco.* Unde adparet corruptum esse *pedem* vocabulum. Jam cum codicem continua scriptura exaratum esse constet, scribendum puto *opem deum¹⁾* (*opedeū*). Simillimus locus est Frontonis pag. 83, 9: *Pro Faustina mane cotidie deos appello: scio enim me pro tua salute optare ac praecari.* Quodsi recte restitui, sequitur, ut Hildebrandus ad Apul. Met. 1, 23 pag. 66: *ortu tibi non commendatum* et Maehlius (in Philologo XVII. 177): *fortunatum! commendatum proxima male explevisse dicendi sint.* Recto iudicio Schopenus (II, 3) *ore tuo dis-*

^f) [UOTIS, quod codex inter MEA et ADUOCAS recte exhibet, mero errore typographico in editione Lipsiensi omissum est. STUD.]

¹⁾ In idem incidisse Eussnerum est quod mihi congratuler. Non prorsus indignum quod adnotetur visum est, forma *deūm* solum Frontonem uti (pp. 113, 11; 212, 11; 213, 20; 229, 7), *deorum* Frontoni (16, 16 ubi Frontonis verba a Marco exscribuntur, 23, 5; 122, 10; 154, 15; 213, 20) et Marco (47, 17) communem esse.

commendatum, quae tamen verba ab eis quae in codice leguntur: *orti..meacom..datum* longius absunt;^{g)} Naberus mortalem ita *commendatum*, quae coniectura tam prope a codicis vestigiis quam longe ab oratoris sententia abest. Hoc enim dicit, se deis, et a Marco quidem Caesare esse commendatum, ut periculi faciendi caussa ita suppleverim: *immortalibus a te commendatum*. Ne spatio in codice relicto me abusum esse opineris, tenendum est finalem syllabam *bus* sola prima littera a librario exarari solere. Quamquam ne sic quidem universus ille locus expeditus est. Quid enim illud: *prae tanto gaudio prosiluerim?* Coniunctivus ille, qui in codice, in quo praeter primas tres vocabuli litteras nihil adparet, non invenitur, ne latinus quidem est. Aut enim perfecti notio inest cum dubitatione quadam et incertitudine prolata, ut paene idem sit quod *fortasse prosiluerim* sive *nescio an prosiluerim*, aut proxime ad futuri temporis significationem accedit in hanc fere sententiam *non dubitabo prosilire*. Utriusque generis singula (sunt autem permulta) addo exempla Frontoniana: ad M. Caesarem IV. 3 pag. 65: *navem triremem rite dixerim*, IV. 8 pag. 71: *turpe alioquin fuerit diutius vitium corporis quam animi studium posse durare*. Utrumque autem hoc loco ineptum est. Quid sibi acciderit, ex quo litteras a Marco scriptas legerit, quanta valetudinis suae in meliorem partem commutatio facta sit, non quanta facta esse aut fieri potuerit, Fronto praedicat. Ernestus quidem de Leutsch, (Philol. XXX. 176) magister optime de me meritus, ex his verbis Frontonem quo tempore Marcus

g) [Immo cum re vera in cod. sit ORT TUO MEDIIS COMME DATUM et TUO litterae minutae a correctore in rasura additae sint, appareat correctorem voluisse: *O me beatum! o* (vel omissa hac particula) *ore tuo me diis commendatum!* qua lectione ipsam Frontonianam restitutam esse confido. STUD.]

praecedentem epistulam ad eum scripserit, bene valuisse adparere putat, in qua re homo doctissimus non satis animadvertisse videtur Frontonem gratias agere pro „flagrantissimis litteris“ a Marco missis quibus lectis se prae gaudio plane restitutum sibi *videri* praedicare. Extremis autem verbis nescio an Fronto respondeat ad ea, quae pag. 5, 2 Marcus optaverat: *valeat et mecum esse possit*. Sic enim in codice legitur. Schopenus II, 3 et Naberus cur *ut* substituere maluerint, mihi quidem non liquet. Non enim propterea optat ut Fronto valeat, ut secum esse possit, sed duo vota habet, et ut valeat magister et ut secum esse possit. Neque praepositio *prae* habet quo se eo quidem, quo a Nabero posita est, loco tueatur. Quo vocabulo latini homines ita solent uti, ut duas vel complures res inter se conferant, idque duplice modo, de qua re cf. Heerwagen ad Liv. XXII. 3, 13. In hunc autem locum nisi alterum id genus non cadit, quo ne quid fieret re aliqua impeditum esse dicitur. Tantum autem abest, ut Fronto gaudio ex Marci litteris percepto se quominus prosiliret prohibitum fuisse adfirmet, ut ipsum illud gaudium fecisse dicat ut prosiliret. Itaque universum locum auctor sum ut ita constituas: *Quid si istas litteras tuas legerit, quibus opem deum etiam pro salute mea advocas et praecaris? O me beatum (imm)ort(alibus a te) commendatum! Putasne? ullus dolor penetrare sciat corpus aut animum meum prae tanto gaudio? Prosilui babae, nec doleo iam quicquam.* In voce *etiam* postposito ne offendas, confer pag. 24, 13; 62, 20; 63, 7; 65, 13; 74, 12 alia. De *putasne?* confer Horat. Sermon. II. 5, 76: *putasne? perduci poterit tam frugi tamque pudica?* Unum liceat addidisse. Quae subsecuntur verba Frontoniana, in codice non omnia adparent. Legitur enim . . . ECaesar, unde Buttmannus alterum *babe* effecit. Evidem malim:

*Plane, Caesar, vigeo, valeo, exulto, quo vis veniam,
quo vis curram.^{h)}*

Ad Marcum Caesarem I. 4 pag. 10, 22: Nunc a Laertio ad Atridam transeo. Nam illud πασσυδίη, quod eum decepit, cuius causa tot legiones funduntur, fugantur, ex somno et ex somnio profecto oritur. Ipsa vox graeca, quae apud Homerum quattuor locis, Iliad. β 12, 29; λ 709, 725 invenitur, de somnio illo Agamemnonis agi docet, ut Maehlius (Philol. XVII. 177) frustra παρ' εὖνη temptaverit. At quid illud est et ex somnio profecto? Erat cum legendum putavi et ex somno prolixo, qua voce saepius Fronto utitur, ut pag. 6, 61, 98, 106, 167, 197. Nihil enim esse videbatur, cur adfirmativum illud profecto adderetur. At meliora me docuerunt duo loci Curtiani VIII. 3, 4: ille se prodi, non moneri ratus et formae profecto fiducia cupere eam quam primum dedi Alexandro, acinacem strinxit et IX. 1, 18: in vicina oppida ingentem intulere timorem, invictum exercitum et deorum profecto advenisse memorantes.

Ad Marcum Caesarem I. 4 pag. 10 extr. haec leguntur: Quos quidem versus orator egregius mire quondam revertit. Fronto laudationem somni ad Caesarem scripsérat; rescritbit Marcus contra somnum pro insomniis atque in ea re cum multa alia Homerica adfert tum versum illum οὐ χρὴ παννύχιον εὔδειν βουληφόρον ἄνδρα, quem vel maxime contra Frontonem eumque imperatoris filio somnum suadentem et commendantem facere in hoc quidem argumentorum ex poetis haustorum numero

^{h)} [Immo cum pro eo quod apud Naberum extat nec doleo satis clare NEQ.DOLEO et pro Babe Caesar post longam meditationem dubia NECAEGROTOR litterarum vestigia mihi apparuerint, non dubito quin locus iste pessime habitus ita restituendus sit: babe, neque doleo iam quicquam nec aegroto: vigeo, valeo, exulto etc. nam de aegrotor forma cogitare non ausim, cum alia deponentis exempla nulla, quantum sciam, innotuerint. STUD.]

adparet. Quod cum Fronto intellexisset, nihil antiquius habuerat nisi ut versum suae caussae incommodum et molestum nescio quibus artibus profligaret et everteret. Marcus autem magistri auctoritate non deterritus, id quod factum erat per risum et iucundam quandam adulationem commemorasse satis habet. *Oratorem enim egregium ipsum Frontonem dici vix ac ne vix quidem dubium esse potest.* At quid tum illud *quondam?* Marcus recens est a legenda illa laudatione. Quae cum ita sint, suadeo ut emendetur: *miro quodam modo evertit.* Non praetereundum esse videtur, adverbium *mire* neque apud Frontonem neque apud Marcum ullo alio loco inveniri nisi fortasse pag. 17, 10, de quo postea agetur. Eadem arte locum ad Marc. Caesarem I. 2 pag. 4 sic primus emendasse mihi visus eram: *illo nescio quo modo*ⁱ⁾ *ad te profectum eum (animum meum) esse,* cum Jacobsum in idem incidisse vidi. Alio tamen loco, qui est ad Marc. Caesarem I. 8 pag. 21, 8: *Quorsum hoc retuli? uti te, Domine, ita conpares, ubi quid in coetu hominum recitabis,*^{k)} *ut scias auribus serviendum, plane non ubique nec omni modo, attamen nonnumquam et aliquando, nescio an eadem medela adhibenda sit.* Recte enim Schopenus I, 3 *aliquando ferri posse negat.* Bene quidem *ubique et nonnumquam inter se opponuntur; aliquando autem et omni modo contraria non sunt.* Schopenus *aliquid; malim aliquo modo.*

Iam accedo ad inconstantiae crimen, quo supra Naberum teneri dixi. Exempla nonnulla ponam: ut vocabula ex se ipsis apta specie quadam efferat oculisque subiciat, nonnunquam signis quibusdam utitur non antiquis illis sed perquam recentibus, nonnunquam non

i) [Ego de *qui* pro *QUO*, non de *quo modo* cogitavi. STUD.]

k) [*recitabis ex recitauis factum* cod. item paulo post NON ante *ubique* ex NEC a correctore effectum est. STUD.]

utitur. Velut cum pag. 12, 7 exaraverit: elegantissime „*praevaricari*“ te *ais*, pag. 36, 14: hoc etiam ipsum *atque* unde putas? legitur. Eadem rationem secutus est pag. 64 compluribus locis. Contra ea pag. 41, 3 *consulam* et pag. 50 ter repetitum vocabulum *cotidie*, cum in se ipsis posita sint, eisdem quibus reliqua verba expressa sunt litterarum formis exarantur. Idem factum est pag. 60, 23 in vocabulo *merito* et pag. 136, 7 in voce *salutem*. Mitto reliqua, quae innumera sunt; tria addam, unde adpareat, quantum ex illa inconstantia detrimenti Fronto ipse a Nabero editus ceperit. *Ad M. Caesarem III. 16* pag. 55, 6 cum iam epistulam finivisset, Fronto rem antea neglectam his verbis addit: *quom Persarum disciplinam memoraris* (cod. *memorares*), *bene „battunt“ ais.* Ita enim scribendum est, ut Fronto batuendi verbum, quo Marcus in describenda vel commemoranda Persarum disciplina¹⁾ usus sit, sibi (est enim anticum et, qualia Fronto amat, ex obsoletis quae situm) probari fateatur. Rudibus enim exercebantur Persarum pueri, quae sunt *γυμνικὰ* illa *ὅπλα* apud Xenophontem (Cyri discipl. 1, 2, 4). In codice *battunt* legi nescio an perperam adfirmant. Alter locus est *ad Marcum Caesarem II. 10* pag. 34, 14: *Feci tamen per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis: sed cum leges sexaginta: inibi sunt et Novianae et Atellaniolae et Scipionis oratiunculae: ne tu numerum nimis expavescas.* In quo loco interpretando et emendando nuper Eussnerus erravit²⁾: ita enim illa dici adfirmat, ut „intellegatur omnia, quae M. Caesar excerptserit, quamvis ex tot libris sumpta, tamen utpote ex antiquissimis petita scriptis ab homine antiquario sine taedio perlegi posse“, ut post *cum substantivum aliquod*

¹⁾ Quam orationem in senatu habuit: cf. *ad Marc. Caesarem IV. 3*, pag. 65, 20, Mai adnot. 9 *ad Marc. Caesarem III. 16* pag. 53 ed. Nab.

²⁾ Mus. rhenan. XXV. 544.

(*voluptate puta vel tale quid*) omissum esse sibi persuaserit. Nihil minus. Cum enim ipsa illa quae secuntur diminutiva¹⁾ tum quinque *tomi* de exiguis libellulis agi docent²⁾; praeterea extrema verba: *ne tu numerum nimis expavescas*, rem minoris laboris esse significant quam quanti pro ingenti illo numero esse videatur. Quae cum ita sint, nihil in verbis illis mutandum est. Quamquam Naberus ut sibi constaret, exarare debebat: *feci t. p. h. d. ex. ex l. s. i. q. t., sed cum leges „sexaginta“, inibi cett.* Simillimus locus est ad Marc. Caesarem V. 44 (59) pag. 90, 1: Victorinus noster aget, ne me acturum putas, i. e. id quod commemoro, ne me acturum putas. Finem faciat locus ad *Marcum Caesarem IV. 3 pag. 64, 10: Evidem te animadvertis, quom mihi scripta tua relegeres, adque ego de verbo syllabam permutarem, te id neglegere nec multum referre arbitrari.* Quid? *syllabamne „per“ mutarem an syllabam permutarem?* Utrumque habet quo se tueatur.

Ad Marcum Caesarem I. 5 pag. 12 extr. Fronto plagam¹⁾ sibi a Marco inflictam esse per blanditias conqueritur. Cum enim Fronto in somno laudando ipsum Ennium poetam a somno et somnio sibi initium fecisse

¹⁾ cf. Ed. Munk de fab. Atellanis p. 51, qui tamen male cum Heindorfio Novianae *Atellaniolae* electo et legendum putat; Marcus enim Novianas et alias Atellaniolas dicit, de quo genere dicendi satis est relegasse ad M. Haupt. ad Ovid. Met. II. 109.

²⁾ cf. Marquardt Antiquitt. Roman. V. 2, p. 399.

¹⁾ [Non tam de *plaga infecta*, si quid video, agitur quam de *pila malitiosa data*. Cum enim pro eo quod apud Naberum legitur *Ecce autem circa Ennium aliam malitiosam PILAM dedisti codex PELAM* praebeat — prima littera aut P aut T aut F, tertia ab exitu littera aut T aut L fuit; I litterula supra lineam non prorsus certa est — de PILAM lectione vix dubitandum est. Praeterea cum post *circa* corrector Q· supra lineam addiderit, quod aut QUE aut QUINTUS, QUINTUM etc. significat, *circa Q.* (i. e. *Quintum*) Ennium scribendum esse appareat. STUD.]

dixisset¹⁾), Caesar pluris quam ipsum somnium id fuisse contendit, quod poeta experrectus esset; quod nisi factum esset, eum illud somnium ne narrare quidem potuisse (cf. I, 4 pag. 12). Quae in codice secuntur, initio truncata sunt: *Marcus meus Caesar, si pote, argutius. Praestigiae^{m)} nullae tam versutae.* Ubi quod Maius supplevit *Excogitet*, Naberus *Quaerat aliquid*, utrumque recto iudicio caret. Laudare enim vult Marcum, non vituperare. Itaque, ut a verborum restituendorum conamine abstineam, tale quid Frontonem scrippisse oportet: *I, quaeras aliquid quam Marcus meus Caesar, si pote, argutius.*

Ad Marcum Caesarem I. 6 init. pag. 13, 12 quae leguntur, non Frontonis, sed ipsius Marci verba esse ut Eussnerus p. 542 recte contendit, ita ne ea, quae Maius manca et hiulca in codice invenit, minus bene restituisse dicendus sit vereor. Quae enim Maius sibi legisse visus est *magisve nego impudens* (nunc enim omnia illa in codice obscura sunt) quod lenissima mutatione ita refingenda esse censem: *magisne ego impudens*, praeterquam quod felici et sane miro casu opus fuit, ut quae restant verba unius sententiae et enuntiati essent, faciliore opera manum librarii (Maium enim, non librarium errasse credo) restitui posse mihi quidem persuasi: *magister, ego impudens.* Quippe in epistula, ad quam haec Marcus rescripsit, Fronto se ipse impudentem et inverecundum dixerat, qui quae ex suis orationibus excerptisset imperatori praelegenda alumno commisisset. Cui Marcus, si Fronto inverecunde egisse sibi videretur, se ipsum impudentem dici oportere, qui sua scripta tanto oratori

¹⁾ cf. O. Iahn ad Pers. prol. 2 pag. 74 et ad Satir. VI. 10 p. 215, Vahlen ad Ennum p. XX, Fronto pag. 146, 5.

^{m)} [PRAESTRIGIAE cod. recte; conf. A. Spengel ad Plauti Truc. I. 2, 32. STUD.]

legenda committat, respondet. De priore sententia nihil praeter extreum vocabulum *magister* superest.

In eadem epistula pag. 15,14 Fronto in oratione aliqua, cuius partem Marcus in hac ipsa epistula sua manu descriptis, de causa quadam loquitur iterata dilatione extracta. In qua evenisse dicit, ut adversarius, qui ad diem non adfuisset, vanis excusationibus iudices falleret, quae quales fuerint, altercationis forma usus exponit, idque ita, ut Fronto ipse interrogationibus utatur, adversarii procurator respondeat: *ubi est adversarius, qui iam pridem ad agendum adesse debuerat?* *In itinere est. Quo tandem in itinere? Ex Asia venit.* Et est adhuc in Asia? *Magnum iter et festinatum* i. e. magnum iter est, etiamsi festinetur. Interrogationis signum posui post *Asia*, id quod instituta altercationis forma poscit. *Pag. 16, 3* quod interrogationis signum post vocem *dilapidare* punto apud Naberum cessit, vix dubium quin hypothetae debeatur.

De eiusdem epistulae fine *pag. 17, 2*: *Sciat familia quemadmodum lugeat: aliter plangit servus manumissus* aliter cliens lauda^acatus (sic codex) aliter amicus legat honoratus quamvis optime meruerit Vahlenus (Cn. Naevi de bello Punico reliquiae pag. 7), est tamen ubi minus bene rem gessisse videatur, ut Naberus recto iudicio de eius temptaminibus existimasse dicendus sit. Atque primum quidem voce *dominum*, quam post *quemadmodum* omissam esse statuit, facile carere poteris; tum nihil est, quod *manumissum* servum testamento manumissum esse statuas. Unde enim probatur hoc Frontonem dicere, „diversum esse hominum luctum pro diversitate hereditatis“? Ex ipsis quidem, quae hoc loco supersunt, laceris reliquis Frontonianis illud non efficitur. Itaque ne altera quidem Vahleni emendatio *cliens adoptatus* habet quo se tueatur. Optime autem restituisse existimandus est

legato honoratus. Ex verbis Frontonianis nihil aliud apparet, nisi mortuos ab amicis superstibus pro modo acceptorum ab illis beneficiorum coli et lugeri. Unde locum sic refingendum esse censeo: *Sciat familia quemadmodum lugeat. Aliter plangit servus manumissus, aliter cliens laudicenus, aliter amicus legato honoratus.* De laudicenis vide Plin. Epist. II. 14, 5.

Paulo post pag. 17, 9 Marcus pergit: *Puto totum descripsi.* *Quid ergo facerent quod totum ac mireiam totum amarem hominem bonum.* Locus non uno nomine laborat. Atque primum quidem absurdum est *facerent.* Apud solum patrem Marcus Frontoniana illa recitaverat, ut aut *faceremus* aut *facerem* aut *faceret*, nihil praeterea, scribere posset. Quorum illud, quod altero loco posui, solum verum esse, et proximum *descripsi* et subsequens *amarem* docent. Miratur Marcus, quod totum locum Frontonianum descripserit. Mox quasi suam ipse excusaturus temeritatem et inutilem laborem: *quid ego facerem?* pergit. Ita enim scribendum censeo. Quod enim in codice est *ergo* huius loci non est; in interrogationibus enim illa particula ita solet usurpari, ut id quod quaeritur ex praecedente sententia quasi concludi posse fingatur. (Handi Tursell. II. 453 seqq. Kritz ad Sall. Jug. XIV. 9). Persimiles sunt loci Horat. satir. II. 1, 24 ubi videndus est Teuffelius, Pers. 1, 12, praecipue Cic. de off. III. 14, 60: *stomachari Canius; sed quid faceret? nondum enim C. Aquilius protulerat de dolo malo formulas.* Atque ut in hoc loco Ciceroniano caussa sequitur, cur Canio in re acquiescendum fuerit, ita apud Marcum fuisse puto: *quom totum... amarem hominem bonum.* Quippe pueriliter ludit bonus Marcus cum se *totum librum descriptsisse* dicit, quod *totum scriptorem amaret.* Quamquam in ludendo nimium quantum progressus esse videtur. In codice enim porro legi dicitur *totum ac mireiam totum*, in quibus vocabulis ipsum

illud *mire* mirum me habet, quod cum pag. 18 nusquam nisi apud Marcum I. 4 pag. 10 inveniri dixi, ne huius quidem loci immemor fui.¹⁾ At hoc ipso loco ne *mire iam* legatur, verecundia, nisi fallor, Marci vetat. Quid enim? senemne Frontonem *mire iam* totum a puerō dici? Restat ut emendes *mirifice*, quod vocabulum apud Marcum III. 14 pag. 52, 2 invenitur. Quae cum ita sint, universum locum ita restituendum censeo: *Puto totum descripti.* *Quid ego facerem, quom totum ac mirifice totum amarem hominem bonum?*²⁾ Pergit Marcus, ut supra dixi, in vocabulo *totus* ludere, cumque se totum librum descriptsisse adfirmasset, quod totum hominem bonum amaret, eundem mirifice totum esse dicit eadem significatione, qua Cicero in Timaeo 5 utitur: *hanc igitur rationem effector mundi molitorque deus, ut unum opus totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolveretur, quod omni morbo seniove careret.* Hominem autem bonum haud scio an oratorem Frontonem per blanditias dicat ex definitione illa Catoniana (cf. Catonis reliquias ed. Jordan pag. 80), quam ipse Fronto exscripsit ad Verum Imperatorem II. 1 pag. 121, 21. Superest, ut *ergo* et *ego*, *quod* et *quom* sive a librario antiquo sive ab hominibus doctis, qui codicem rescriptum inspexerunt, confusa esse commemorem (cf. pag. 18, 2; 127, 19; 69, 10).

¹⁾ Namque quod in margine saepius *mire* legitur (pagg. 99, 152, 188, 235 cett.), nihil euro.

²⁾ [Immo, cum in codice, quem, dum Juppiter Pluvius regnat, obiter inspexi, TOTUMADMIRER . . . TOTUMAMAREM . . . HOMINEM BONUM extare visum sit, quod totum admirer, quod totum amarem te hominem bonum vel similem lectionem in membrana latitare concias; quam ita e. g. facili negotio cum tua de hoc loco sententia consociare possis, ut admirarer et bis quom restituendum esse censeas. Attamen iudicium de eius modi locis non ferendum esse credo, priusquam novis medicamentis evanidam scripturam resuscitare licuerit. STUD.]

Schopenus ut ad Marc. Caesarem I. 8 pag. 22, 3 recte pro *instructurae*,^{o)} quod in codice est, *structurae* restituit, de qua re videndus est Lachmannus ad Lucr. IV. 283, nescio cur intactos reliquerit locos *ad Marcum Caesarem I.* 7 pag. 19, 9 et I. 8 pag. 22, 15 eodem scripturae vitio laborantes. Illo loco haec leguntur: *nec ulla umquam scaena tantum habuit dignitatis: M. Caesar actor, Titus inspectator.*^{p)} Iam enim ipsa vox *inspector* per se satis dubia est; quae cum apud Symmachum (Epist. VI. 9) solum et Mythographum Vaticanum primum cap. 150 praeter hunc locum Frontonianum inveniatur, apud Symmachum quidem optimi codices non *adhibiti inspectatores*, sed *adhibiti inspectores* praebent, Lactantius autem Placidus, cui Mythographus sua debet (cf. Bodi Prooem. ad scriptores rerum mythicarum pag. XVII.) *inspector* habet, Mythographus *inspector*. Praeterea apud Frontonem res, quasi in scaena agatur, repraesentatur, in qua re non *inspectandi*, sed *spectandi* verbum solleme est. Ipsum verbum his locis legitur: pag. 20 extr. et 21 init.: *quanta in spectandis orationibus elegantia*, qui locus ei, de quo agitur, simillimus est; pag. 82, 18: *quinquatribus populo Romano spectante*, quo loco, cum prior manus *sectante* (cf. Naber. pag. 296) exhibeat, Eussnerus emendationem suam pag. 6, 18 tueri poterat: *nec semper sectatur* (cod. *spectat*); pag. 230, 6: *histrionem in somnis fautor spectaret*; pag. 115, 16: (Calpurnium) *ego facile et omnibus spectantibus et te, si spectaveris, revincam*, pag. 207, 11: *spectandis in campo militibus operam dare*; pag. 191, 11: *Fabianum spectatum in iudiciis*; pag. 89, 12: *si animum nostrum*

^{o)} [IN litterae iam ab ipso correctore expunctae esse videntur.
STUD.]

^{p)} [Immo pro certissimo contra Naberum adfirmo in codice non INSPECTATOR extare, sed IMPERATOR, idque iam Maius legerat.
STUD.]

species; pag. 209, 11: *factum spectatur*; pag. 118, 9: *an lacrimas vestras spectatum venirem*; pag. 40, 16: *indignationem (tuam) maligne spectatari videntur*. Quae paulo post pag. 40, 18 leguntur: *qui minus amici sunt, malunt te inspectare inconstantius agentem*, quo quidem uno loco *inspectandi* verbum in codice adparet, cavidum est ne cum Nabero suspecta habeas; inimicos enim illos male *ἐφορᾶν* dicit et inquirere et observare, num quid temere et inconsiderate Fronto dicturus sit, quo data occasione contra ipsum uti possint. Sed redeo illuc unde profectus sum. Non bene fecit censor *anonymus* in indice philologo 1868 pag. 60 quod *Titus imperator spectator* Frontoni obtrusit. Imperatoris enim nomine Fronto ita uti solet, ut aut ipsos viros adloquatur (pagg. 164, 15; 165, 5 et 17; 169, 2; 171, 7), aut, ubi de imperatoribus verba facit, si vivunt, dominorum nomen honorificum addat (pag. 186, 8), si mortui sunt, non addat (pag. 210, 1). Reliqui loci huc non pertinent, ut pag. 122, 15, ubi Juppiter summus imperator dicitur, pag. 230, 8 ubi duces imperatores dicit. Quae cum ita sint, hoc quidem loco Titum Antoninum Pium dominum imperatorem adpellare debebat. Inde sequitur, ut *Titus spectator* emendetur. — Restat locus pag. 22, 15: *Certum habeo te, Domine, aliquantum temporis etiam prosae orationis inscribendae inpendere*, ubi sine ulla dubitatione scribendae cum Nabero restituendum est. *Inscribere* uno loco eoque diversissimo apud Frontonem invenitur pag. 99, 22: *M. Porcium in ea oratione, quae de sumtu suo inscribitur*.

Ad Marcum Caesarem I. 7 pag. 20, 14 scribendum est: *ut si simiam aut volpem Appelles pinxisset, bestiae [leviculae] pretium adderet*. Cum Eussnero probabili emendatione *leviculae* scripsi; quamquam quo modo viro docto *pinxit* et (in cod. II^N CITET erasa postrema littera), quam amici sui du Rieu emendationem Naberus

recepit, probari potuerit, nescio. Neque enim simiam aut volpem Apelles unquam pinxit, et ipse particulae *et* positio (debuerat enim *et leviculae bestiae*) et quod sequitur adderet, ut feci emendandum esse docent.

In epistula *ad Marcum Caesarem I.* 8 pag. 23, 11 locus est vexatissimus: *Pro Polemone rhetore, quem mihi tu in epistula tua proxime exhibuisti tullianum, ego in oratione, quam in senatu recitavi, philosophum reddidi, nisi me opinio fallit, peratticum.* In epistula quadam, quae nunc quidem libri secundi quinta est, Marcus exposuerat, qualis Polemo rhetor Smyrnaeus tum celeberrimus (de quo conferenda sunt, quae Lud. Preller in Polemonis periegetae fragmentis pag. 5 congesit), quem disputantem audierat, sibi visus esset eumque, ita laudaverat, ut hominem diceret sollertissimum uberrimoque ingenio praeditum; deesse tamen ei ea ipsa, quae Fronto se in M. Tullio desiderare ad Marcum Caesarem IV. 3 libere fatetur: nihil insperati, nihil inopinati, parum amoenitatis in Polemone esse, apta quidem omnia et quae te laudare oporteat, amare non libeat. Inde Fronto Polemonem tullianum a discipulo exhibitum esse dicit. Iamque ut par pari referret, orationem quandam, quam in senatu recitaverat, unde ἐπιδεικτικὴν fuisse sequitur, misit, in qua Polemonem illum philosophum commemo-raverat, qui cum Xenocratem academicum Athenis disputantem audivisset, libidinosa vita, quam egerat, reicta, homo frugi factus totum se philosophiae dederat (cf. Valer. Max. VI. 9, 1 et quae ibi attulit Kempfius). Quem cur *peratticum*, quam vocem parum a se intellegi Naberus confitetur, dicat, ex ipsius Frontonis de philosophis iudicio, nisi fallor, interpretandum erit. Atque ad Antoninum de eloquentia p. 143 nimia illos appetere, humana spernere per irrisiōnēm dicit, mirificos sane homines, qui cum magna loquantur, rem praesentem praetervideant, sensum communem contemnant (ad Ami-

cos I. 15 pag. 184); ut paucis defungar ἡ μὲν τῶν
ρητόρων παιδεία, ipse ait (ad Amicos I. 2 pag. 174)
δοκεῖ μοι ἀνθρωπίνη τις εἶναι, ἡ δὲ τῶν φιλοσόφων θεία
τις ἔστω, in quibus verbis premendum est illud ἔστω, quo
se non intercedere adfirmat, quominus Apollonidae philo-
sophia divinum aliquod videatur; sibi quidem philosophos
fatuos potius et inanes nugatores videri. Quae cum ita
sint, Polemonem philosophum non mediocriter risisse vi-
detur, utpote divina adeptentem, praesentia vitae bona
contemnentem, vanas imagines sectantem. Cum autem
plurimi philosophi Athenis aut existerent aut versaren-
tur, atticum illum morbum appellat. At *peratticum* dicit.
Terrarum quidem nomina cum vocula *per* componi non
solere non ignoro; sed Frontonem insolitum et inusitatis-
simum quodque sequi scio, neque patriam philosophorum
dicit, sed genus. Quodsi vero vocabulum *peratticum* non
ferendum putaveris, superest ut cum E. de Leutschio,
praeceptore summe colendo, emendes *hyperatticum*. Sed
pergo in Frontone recensendo. Secuntur haec verba:
*An quid? tu dicas, Marce, quemadmodum tibi videtur
fabula Polemonis descripta?* Dedi locum cum Maio, quem
Naberus secutus est. Codex *adedescripta*. Primum
interpunctio Maiana quomodo se tueatur nescio. Nam-
que *an quid?* alteram interrogationem hoc quidem loco
proponi, alteram ex praecedentibus supplendam esse
docet: utrum opinio, qua Polemonis fabula enarranda
philosophum hyperatticum exhibuisse mihi videor, non
fefellit me *an* fefellit? Atqui, ut locus a Maio consti-
tutus est, non, ut oportebat, contrarium quaeritur eius
rei, quam Fronto adfirmaverat: quaeritur, quemadmodum
Marco fabula illa *descripta* videatur. Recto igitur iudicio
Buttmannus ut *en quid iudicas, Marce* scriberetur au-
tor fuit. Quamquam *en* Frontoniana vox non est, ut ne
Heindorfi quidem coniectura ad II. 5 pag. 30, 7 facta
probari possit. Sed restat gravior corruptela, in qua

sananda rem non bene egit Fr. Jacobsius, cum in monstro illo *adedescripta* latere putaret *ad te scripta*. Non enim fabula Polemonis ad Marcum scripta sed in senatu recitata est. Quod Naberus posuit *a me scripta*, vocabula *a me* plane superflua sunt et a codicis scripture longius absunt. Evidem ita emendo: *Ecquid — tu dicas Marce, quemadmodum tibi videtur — fabula Polemonis adaeque descripta?* Gaudent et Marcus et Fronto eiusmodi interpositionibus, quarum ut unum exemplum idque proximum adferam II. 2 pag. 27, 22 legitur: *illa alia epistula tua...tanta [me]¹⁾ voluptate affecit, ut temperare non potuerim — et videris tu an temere fecerim — quin eam ipsam patri meo recitarem.* Interrogativum *ecquid* compluries apud Frontonem est; unum locum adfero simillimum ad Verum Imp. II. 1 pag. 121, 17: *ecquid autem pulchre scripsisse videtur?* de quo loco postea disputabitur. De particula *adaeque* satis erit provocasse ad M. Hauptium in ind. schol. Berol. 1867 (Emendationes Frontonianae) pag. 10 et 11. Copula *est* innumeris locis a Frontone omittitur.

¹⁾ Pronomen, quo dubito an non careri possit, ipse addidi. Quid enim? quocum prius quam cum patre epistulam illam communicaret, quae tanta eum voluptate adficerat? Atqui si absolute, ut dicunt, verbum *affecit*, positum esset, antequam patri recitaret, cum aliis communicatam oportuit.

(Reliqua propediem apud S. Calvary eiusque Socium Berolinenses edentur.)


Typis Draegerianis C. Feichtii Berolinensis.

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 094 940 7

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 094 940 7

